

mōnium Christi, f. aliam quamlibet causam tolerato, habeant quietem, postquam in hac vita illis & laborandum & molestia sustinenda, imò interdum in sudore & sanguine dimicandum fuerat. Qvi molestus cursus non aliter finitur, quam per mortem, quâ, loquente B. Gerhardo ad h. l. ab omni molestia, ab omni adversitate, ab omni labore, quem in hac vitâ sustinuerunt, ad summam perfectissimamq; quietem in Domino morientes perveniunt, perfectâq; atq; indesinenti lætitiâ coronantur.

§. XI. Consideratâ itaque beatitudinis *privativa* delineatione, *positiva* jam aggredienda, de quâ sequentia textus verba: τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ, μετ' αὐτῶν, *Opera autem eorum sequuntur cum illis.* Grotius ad h. l. dicit: melius esse legi: τὰ ἔργα, quomodo & Vulgatus, quam τὰ ἔργα. Imò & ἔργα, pro ἔργα sumi, nec semper adversativam particulam esse, vult Maldonatus, & cum eò Beza, consentiente Piscatore. Alii conjunctionem copulativè scribunt & interpretantur. Hinc & Gatakerus per: *Sed &*, ac si mantissæ loco hoc priori ἀναπαύσεως beneficio accederet. Nos potius sensum adversativum, ceu magis vulgarem & consuetum, retinemus, ne quiete à laboribus prænominatâ, idcirco censeantur opera piorum omnia inutiliter esse peracta, nec vel bona, vel mala in morte amplius quemcunque usum habere. Per τὰ ἔργα αὐτῶν, *opera eorum*, sc. mortuorum in Domino defunctorum, non intelliguntur opera mala, videl. mundi & carnis, quæ fugiunt cane pejus & angue; Sed bona atq; laudabilia, per gratiam Dei, viresque concessas, perpetrata. Plerique τὰ ἔργα heic metonymicè interpretantur, de operum effectu & fructu. Sic Pricæus in Obs. ad N. T. per: τὰ ἔργα intelligit mercedem operum. Grotii mens observante Calovio est: τὰ ἔργα poni pro: *memoria rectè factorum, quæ pacem conscientie conciliant.* Quem verò sensum vix cuiquam probatum iri, scribit Gatakerus. siquidem in hominibus memoria malorum perinde est, & nonnunquam major atque tenacior. Beza putat, indigitari hic, fructus operum esse præmia, quæ B. O. sequuntur, Hebræorum more, qui sic עֲשֵׂה usurpent. Idem sentit & Drusius. Nec in diversum abit Coccejus, fructus laboris & mortis ipsorum hic innui suggerens. Addit tamen simul, intelligi cum vitæ gloriosæ consecutione conservationem verbi Dei ap. posteros, & multiplicationem credentium, coll. Et LIX. 10. LX. 22. Cornel. à Lapide, ut & alii Pontificii,